

ORATIO
IOANNIS BAPTISTAE
ADRIANII

*Habita Florentiae in sacris
funebribus,*

CAROLI V.
Cæsaris Augusti.

FLORENTIAE
MDLXII




UAE res animum, studiumque ijs, qui lau-
dare quempiam instituerunt addere so-
lent, ha mihi hoc tempore vehementer ob-
sunt rerum praclarissime gestarum copia,
atque amplitudo. Cum enim mecum ipse
considero breui temporis spatio laudes CAROLI Quinti
Caesaris Augustissimi vobis praesentibus amplissima, ac
summa dignitate Patres, honestissimi Praesagistratus, ac praes-
tantes nobilitate ciues a me esse celebrandas, non tam quid
me facere oporteat in hoc munere obeundo sum anceps,
quam aut unde exordiar, aut quem ad exitum oratio diriga-
tur. quae enim tanta ingenij vis? quis memoriae tam diues
thesaurus? quae tanta vniquam fuit eloquentia? quae tot, tan-
tarumque rerum mole, virtutumque maximarum copia, ac
varietate non facile obrui possit? accedit ad hanc animi no-
stri molestiam vester Patres ac totius Populi Florentini, at-
que vt verius dicam totius penè orbis terrarum luctus, atque
is lugubris, tristisque conspectus, qui quocumque oculi incide-
rint animum suo affectu languentem communi mærore etiam
vulnerant. Illud praeterea non negauerim permolestè tulisse
me clarissimi viri obitum, & si enim is nihil, aut parum ad
me pertinere videbatur, quippe qui aulam, numquam aspe-
xi, nec publicis vllis muneribus interfui, non possum tamen
vehementer non commoueri, cum intelligam Hispanias, Ita-
liam, Germaniam, Belgas, innumerabiles pene nationes,
ac provincias luctu confici, ac desiderio optimi parentis, ius-
tissimi regis, fortissimi Imperatoris mærore, homo enim
sum, atque eadem nauis, qua plurimi mortales ipse etiam
vehor, vt tam prudentis gubernatoris interitum minime sit
miran-

mirandum si pro mea parte tamquam de proprio periculo do-
leam. quamquam bonorum civium illud esse reor, ut iisdem
affectibus, quibus principes in civitate viri, illi etiam mo-
veantur. Cum igitur audiam amplissimum Ducem, om-
nemque illius illustrissimam familiam in luctu esse, atque
ob gravissimum casum, acerbissimumque morere, ipse non
doleam? non lugeam? non morore conficiar? ferrens pro-
fecto sim, ne dicam impius si tam gravis, ac tam communis
doloris partem ad me pertinere non putem. quod si michi hoc
onus salvo officio subterfugere licuisset, nae ego illud haud gra-
vitate eloquentiori, minusve affecto reliquissim. Verum qui
ad hanc provinciam me delegerunt ornatissimi viri nomine,
auctoritateque Illustrissimi Ducis reluctantem quidem pro-
pter rei novitatem & magnitudinem aliquantulum, ut pro
hoc munere fungerer me compulerunt. ut mihi iam nulla ter-
giuersionis, aut excusationis ratio relinquatur. Rem igitur
gravam, ac meis viribus imparem hodierna die susce-
pi, ut omnium post hominum memoriam longe maximi, ac
praclarissimi viri more maiorum virtutes, aetamque vi-
tam celeberrimo hoc loco, maxima clarissimorum virorum
frequentia, honestissimis amplissima civitatis ordinibus,
magistratibusque praesentibus aliqua ex parte attingam: in-
quare peragenda aliud michi propositum est, ac alijs in
toto hoc genere esse soleat. nam genus, patriam, parentes,
aetamque laudabiliter pueritiam, magnamque iuuentutis
partem praeteream necesse est, non quod non undique lau-
dabilia illa sint, sed quod non nisi longo tempore explica-
ri possunt, & nos ad maiora properamus, & quod ex
his pleraque non propria vi comparantur, sed a fortuna

donantur. Præterea quis est tam omnium rerum ignarus, qui nesciat Austriacam familiam omnium, quæ in orbe terrarum habentur esse nobilissimam? & virorum illustrium, regum, Imperatorum, victoriarum, triumphorum multitudi-
ne, & continenti serie celeberrimam? Cui Federici, Ma-
ximilianique, augustissimi Imperatoris huius, quem fatis
functum lugemus avi, ac Philippi patris nobilitas, virtutes,
factaque egregia non sunt cognita? hæc, ceteraque huius
generis in his celebrentur, qui suarum opum nudi aliunde
laudum copiam mutuare coguntur. Nos enim ea tantum
bona referemus, nec omnia, quæ non aliunde accersita
sed propria virtute comparata vere laudabilia esse censemur.
Qua fuerit pietate, qua fortitudine, qua mansuetudi-
ne, qua fide, qua benignitate, qua æquitate. Quibus lauda-
bus referendis pro vi rei dignitas postulat utinam ego satis es-
se possim. Iam quidem omnibus constat eam præcipue fuisse
causam veniendi primo in Italiam Cæsari, ut provinciam
hanc multis bellorum tempestatibus agitatam prostratam-
que sua præsentia subleuaret, Urbemque ipsam paulo an-
te à barbaris Borbono duce vexatam, direptamque re-
crearet, summumque Pontificem in pristinam dignitatem
reponeret, maximisque in illum conferendis beneficiis si-
quid simultatis ex præteritis incommodis illius animo rese-
disset totum aboleretur. Quod factum in summum Christia-
ni nominis, sacrorumque Antistitem quod commiserunt
barbari totum impietate ducum militumque avaritia in-
sistente Cæsare factum esse indicavit. Quod Clementi sum-
mo pontifici Cæsar reita deinde probavit. ut paucis inter-
positis mensibus Bononiam cum maximo procerum comita-

tu se se transtulerit, atque ibi maxima Christianorum, in-
cipum frequentia, magnificentissima pompa, pulcherrimo
apparatu imperatoria aurea corona Carolum insignierit, at-
que honestavit. Qua dignitate inter Christianos principes
nulla maior habetur, nec nisi de Christiana republica bene-
meritis Caesaribus tribuitur. Cuius quidem dignitatis me-
mor, hinc officij probe conscius non multum post tempus
cum Thurcarum rex maximis coactis pedestribus equestri-
busque copijs Germaniam magno conatu invaderet, peri-
culumque esset, ne prostratis Germanorum phalangibus
magna celeritate in Italiam raperetur, veteranorum mili-
tum cum Hispanorum, cum Italorum undique convocato-
rum robur premisit, ipse maximis itineribus secutus cum
summi pontificis legato, militumque magna manu, quos
Pontifex ad pium bellum ex omni Italia deligerat hosti oc-
currit. Quo loco cognosci facile potuit quantum vnus Impe-
ratoris nomen, atque auctoritas apud suos, atque apud ho-
stes valeret. Casare enim exercitum ductante Christiani mi-
lites, quamuis numero hostibus multo inferiores, quique
vsque ad illam diem nullibi a quo Marte discesserant, tunc
non modo hostem aperto, campo expectare, sed etiam in
hostilium castrorum munimenta irrumperere gestiebant. Con-
tra Thurcarum exercitus antea invictus tunc primum no-
strorum militum aspectum pati vix potuit, & quasi diuino
numine consternatus magis locorum beneficio, ac longin-
quitate, quam propria virtute tutus evasit. Quod si per
anni tempora nostris hostem insequi licuisset, ea virtus
Imperatoris, ea militum alacritas fuit, vt bellum breui confi-
ci potuerit, ac de hoste immanissimo honestissimum trium-




phum duci. Quid? cum Ariadenus archipirata ingenti
classe proxima Sicilia, atque Italiae littora in Africa occu-
passet, arceque totius regionis munitissima, Tunetanoque re-
gno potius maritimis nostris regionibus immineret, quanta ce-
leritate optime Deus classem Italiae, Siciliae, Hispaniae littori-
bus exornavit? magnoque peditum, equitumque numero im-
posito ita euolavit ut prius e speculis hostis classem adesse co-
gnovit, quam aut tantum bellum parari, aut militem cogi au-
disset. quod quidem bellum genere ipso periculosum, nobis ma-
xime necessarium cum peritissimo Duce, & validissimo mili-
tum Turcarum praesidio septo gestum, ineunte vere paratum,
media aestate intra paucos dies. a quibus milites conscende-
rant confectum est. qua victoria omnes pene Christianorum
animi maximo metu sunt liberati, hostes instructissima clas-
se, portubus, urbibus, arcibus, navalibus, omni bellico instru-
mento ad nos impugnandum comparato spoliati. Omittimus
hoc loco plurima bella, quae eadem pietate impulsus aut ipse
suscepit, aut per vicarios, legatosque varijs locis varia fortu-
na administravit. quo loco minime reticendum quot classes,
quot exercitus, quot nobiles duces ad antea ignoratas terras
latissimo oceano a nostris disiunctas vere religionis causa di-
miserit. Sed quid ego haec singillatim colligo. quod umquam
Caesaris factum, quod consilium, quae oratio umquam fuit, in
quibus vere, ac sincerissimae pietatis indicia non praeserren-
tur? quae illum res umquam tam secundae aut ita extulerunt
aut tam aduersae depresserunt, ut diuinum cultum, aut negli-
geret, aut illius obliuisceretur? Nam quanto animi robore
fuerit, quanta heroica magis quam humana fortitudine, ve-
reor ne, ut re ipsa est ita verbis explicari queat. nec vero ali-

ter tot labores obire, tot curas sustinere, tot pericula adire,
tot insensissimis hostibus occurrere, tot victorias consequi po-
tuisset. hunc nemo unquam pauentem, nemo non ex impe-
ratoria dignitate sentientem, nemo non de sua virtute opti-
me sperante, ex vultu, ex oculis, ex sensu, ex oratione
animaduertit. quod in memorabili illa clade precipue per-
spectum est, qua nihil quisquam atrocius est expertus. cum
enim maximam classem, atque omnibus rebus instructissi-
mam ad maxime insensa Africæ litora iterum appulsi-
set, partemque copiarum iam exposuisset, non dum bellicis in-
strumentis expeditis, non dum commeatibus comparatis,
cum fœda exorta tempestate naues inuicem colliderentur,
mare fluctibus intumesceret, terra continenti imbre, procellis
que fœuissimis præter illius oræ consuetudinem pulsata fulmi-
nibus, tonitruisque reboaret, tum ex altera parte amnis im-
bribus auctus nullam effugiendi copiam præberet, ex altera
hostis vrgeret, ac omnia demum vndique atrocissimam mor-
tem intentarent, tum vero inuictum Imperatorem acerrimo
vultu, magnoque animo, ac forti vidisses, cum alij pene omnes
malo, metuque consternati iacerent ea, quæ in tanta calami-
tate præstari poterant strenue parantem, hos, atque illos ade-
untem, hortantem, monentem, subleuantem, sibi que ipsi in
nulla re indulgentem, donec magna classem parte amissa, ma-
gna exercitus, qui adhuc in nauibus erat multis locis disjuncta,
omni bellico instrumento, rebusque necessarijs partim sub-
mersis, partim vndis saloque corruptis flumen pedibus iam
remisso aquarum impetu transire coactus sit. quo loco magis
de cuius vis militis quam de propria salute sollicitus fuit. nisi
enim omnibus ad alteram ripam incolumibus ipse, flumen

transmittere noluit. Quin etiam in vado non nullos lapsos manu subleuauit, alios infirmo passu gradientes sustinuit. ut hunc vnum illum exercitus partem incredibili animi fortitudine seruasse vere sentire, ac predicare debeamus. Quam virtutem non multis ab hinc annis Germani deinde sunt experti, ad quos cum sedandarum seditionum, & maiestatis retinenda causa accessisset, bellum à turbulentis Germaniæ principibus subito concitatum est, quod bellum prius geri, quam parari Caesar sensit. ipse enim regio tantum comitatu instructus, nisi prope milite septus pacato animo in prouinciam venerat. cum interea iam aperti hostes non dissimulanter liberæ Germaniæ ciuitates opulentissimas ad defectionem metu seruitutis iniecto sollicitabant. qui omnium opinione maiore exercitus collecto mox Casarem inuasuri videbantur, atque hoc tanta celeritate, ut appareret iam antea meditatam animo consilium vsque in illam diem eos distulisse, quo illum minus paratum offenderent. Cum igitur hoc loco res esset, omnesque qui Casari bene consultum volebant aut prope abeundum, aut ab armatis conditiones accipiendas censerent, quorum vtrumuis ea persona quam Caesar gerebat indignum esse iudicabat. surpemque ignominie notam, si quicquam tale cogitaret subeundam, quiduis potius pati quam tantum dedecus admittere decreuit. itaque qua solitus erat in dubijs asperisque rebus animi virtute consilia belli explicare aggressus modico consulto exercitu hostes expectandos censuit. qui ut animo erant prompti, ita ducum peritia, militumque numero freti maxima equitum innumerabili peditum manu pene sub castra Caesaris castra contulerunt. Cumque multis variisque assultibus Casarianos milites lacefissent semper

cum clade reiecti sunt . cumque nullibi æquam in prælijs par-
tem tulissent longo bello fatigati , cum Cæsaris copiae , & nu-
mero , & militum genere auctiores , confirmatioresque iam es-
sent , re infecta abierunt . quo tempore vix dici potest quan-
ta in Cæsare virtus emicuerit . cum enim alij pene omnes ani-
mis defecissent , ille inuictò animi robore imperatoria mune-
ra solus obire , omnia providere , periculis vbi opus esset sese
offerre , alios hortari , alios increpare , ac tandem totius belli ,
quo maius nullum , ac periculosius nostra hac ætate gestum
est vnus sustinere , ac demum tantum instare , vt non multo
temporis spatio omnes illius infensissimi hostes alij metu , alij
incredibilium admiratione virtutum , alij victi bello , ac capti
ad victoris pedes sese proiecerint , salutemque ab eo supplices
impetrauerint . quam quidem magis ex Cæsaris clementia ,
quam ex alia vlla re sunt consecuti . in quos sacrosanctam im-
peratoriam maiestatem armis , ac verbis conuellere conatos
cum pro suo iure posset animaduertere , ac de illis iustum sup-
plicium sumere , omnes tamen seruauit incolumes , ac nõ mul-
tum post tempus leuiter castigatos dimisit . O clementiam Cæ-
saris admirabilem , o mores Christiano principe dignos . hæc
tanta animi lenitas , hæc incredibilis benignitas celebrabitur
illa quidem omnium linguis seculis innumerabilibus , magis-
que hæc posteritas . omnis admirabitur quam tot victorias .
tot triumphos tot regna , tot , tan . q . diuersis locis victos , ac pro-
stigatos hostes . hæc enim gloriã propriam esse Cæsaris omnes
semper gentes fatebuntur . bellicæ enim laudis in partem vo-
cari volunt milites , centuriones , locorum , temporumque op-
portunitates , ac postremo ipsa fortuna , cuius cum in hu-
manis rebus omnibus magnum est momentum , tum in belli-

cis certe maximum, at huius, quæ clementiæ, ac mansuetudinis est comes nullum habet socium. Cæsar, totum quod ex ea capitur, totum inquam et solidum, quod quidem permagnum est, Cæsaris est, non igitur solum bellica laude, quod fortissimos hostes deuicerit, sed multo magis, quod iracundiæ in ipsa victoria, quæ natura est insolens, modum imposuerit Cæsar est celebrandus. Cuius regiæ liberalitatis, ac munificentiæ testes sunt, quicumque aut in bello, aut in alio quouis negotio egregiam illi operam aliquando nauarunt. quorum alij regna, alij oppida, alij regias opes, maximasque dignitates sunt consecuti nec vlllo paulo illustriori facinori merces est non ex dignitate relata. nec quod plerisque regibus commune est in quosuis temere beneficia sunt collata, sed apud dignos summo iudicio collocata. cuius raræ virtutis testis est Gallia Cisalpina, testis Campania, testis Appulia, testes denique omnes illius ditionis prouinciæ, quæ fortissimorum virorum, atque honestissimorum perpetuis magistratibus simul exornantur, & muniuntur. hoc enim ille regium maxime esse putabat nichil præter gloriam, ac dignitatem vehementius esse expetendum, cetera communia esse oportere, ac se non tantum maximarum opum, atque amplissimarum à Deo possessorem, quantum earundem commodum distributorem esse institutum. ut si quis in illis parandis, seruandisque labor inesset, id ille suum putaret, ceterum fructum aliorum. Hæc igitur mente, præclarissimaque virtute instructus fortissimus vir tanto militum studio, atque alacritate quocumque res posceret, quasi alis quibusdam est sublatus, ut facilimum illi fuerit Turcarum regum regna opulentissima semel atque iterum inuadere, Africæ munitissima oppida expugnare,



re, Germanorum ingentes conatus infringere, cum cæcis
perpetuis hostibus continenter bellum gerere, & demum om-
nes maris sinus, omnes terrarum tractus cum armato mili-
te summa felicitate, & celeritate peruadere. hæc igitur o-
mnia iam non sunt, non sunt fortunæ alicui Cæsaris præ-
cipuæ, sed ipsius Cæsaris animo, ac virtutibus tribuen-
da. Quanta autem fide fuerit, quod regum præcipuum es-
se debet, cum permulti alij socij, tum certe Illustrissimus Dux
noster omnibus satis indicio esse potest. cui statim ad sum-
mum huius ciuitatis principatum meritissimo euecto præsto
vndique assuerunt cæsariana copia, quæ hostes iam mani-
bus nostris imminentes auerterunt, ac profligarunt. Quid?
proximo bello, quod sum acerrimo duce, atque impigro Gal-
licis opibus, atque armis abunde fulcto est gestum, quanto
studio spectatæ virtutibus equitibus, ducibusque maximo in
periculo nos subleuauit? atque adeo, vt qui quasi victores a-
lacles passim nostris oppidis insultarent paulo post victi, ac
profligati insignem de se victoriam nostris militibus tradide-
runt. eo enim animo semper Cæsar fuit, vt sociorum fortu-
nas communes esse putaret, nec magis sua, quam illorum iu-
ra inuiolata esse vellet. eiusdem fidei illud etiam est argumen-
tum, quod Alexandro Duce per dolum necato cum fa-
cillimum Cæsari esset florentissima ciuitate, atque opulen-
tissima vt serua vti, cum in manu totius florentini regni
munitissimas arces haberet tantum absuit vt hoc faceret,
vt cum principum in ciuitate virorum honestissimus ordo
COSMVM MEDICEM ex fœderum tabulis ad sum-
mam dignitatem summa cum auctoritate euexisset ma-
ximo studio illorum consilia, & multis laudibus facta prose-
cutus sit, ipsumque nouum principem maximæ indolis adolescē-

rei. opibus, promissis, praeceptis, spe, adiuuerit, confirma-
uerit, auxerit. Numquam profecto me deficiat oratio, si
quae in hoc genere ab illo iustissime, ac sapientissime gesta
sunt referre velim. sunt autem numero pene infinita, gene-
re praecleara, sed sua luce ita illustria, ut nemine memoran-
te ab omnibus facile intelligi, & cognosci possint. nullus e-
nim pene locus est in orbe terrarum, nulla prouincia, quae non
huius integritatis, & fidei insigne aliquod monumentum pra-
eferat. Quid ego in hoc viro aequitatem, iustitiamue nunc
laudem? cum omnes humani animi virtutes ita mutuis qui-
busdam vinculis connexae, complicataeque sint, ut una sine
altera nec esse. nec intelligi possit, ut qui hanc, aut illam in
aliquo laudarit, alias sciat etiam se laudasse. Nam quae in
ceteris imperatoribus miris laudibus extolluntur virtutes la-
bor, industria, celeritas, consilium iure à me praetermitten-
tur, malo enim eas ex rebus gestis, atque ex victorijs de a-
cerrimis hostibus partis, hoc est ex re ipsa, quam ex verbis
cuiusuis intelligi. Quamquam ego quidem censeo omnes re-
gias virtutes, atque imperatorias ea sententia contineri, quam
Alexander ille Macedo in sapientissimo Poeta laudare pra-
ecipue solebat, bonum esse regem, ac strenuum bellatorem.
quae vox huius nostri animo multo magis, quam Macedoni
haesisse videtur, qui fortasse magis illius vim tenere, quam
ex illa vitam instituerere didicis. Si enim viriusque vitam di-
ligenter perpenderit hunc nostrum morum integritate lon-
ge praestitisse etiam. Alexandri amici fatebuntur. siquidem
ab hoc nichil nisi piuum, equum, temperatum, mite: ab illo im-
pia nonnulla, iniqua quaedam, luxuriosa, ac crudelia.
Nam res gestae quibus maxime celebratur Alexander haud
quaquam sunt cum his, quas hac aetate vidimus, aut hostium
gene-

genere, aut bellorum, regionumque varietate conferenda. hic
validissimas Germanorum phalanges perripit, huius impe-
sum deuota morti Turcarum pectora non expectarunt; huius
virtuti Afrorum artes cesserunt, hunc confertissima Callici
equitatus turma non sustinuerunt. Macedoni autem Asiati-
ca nationes, natura imbelles, longo seruitio enervata, luxuria
dissidentes quasi quaedam opima praeda à Fortuna obiectae
sunt. quas nullum pene negocium fuit à veterano milite, & à
Philippo patre ad omnia belli munera exercitato superare.
Multa à me in hoc genere praetermittuntur, ne videar inue-
trata celeberrimi iuuenis, ac fortissimi gloria inuidere.
Quod si qui sint qui Scipiones aut Annibalem, aut Iulium
Caesarem, aut alios quosuis huic nostro praeponeudos cen-
seant illorum opinionem ut puto multo melius resellent futura
saecula, quae sine amore, sine cupiditate, sine odio, aut inui-
dia multo integrius diiudicabunt. Sed ut hoc etiam conceda-
mus parem in aliquo fuisse bellicam laudem, in hoc quidem,
quod dicemus omnes se vinci aequo animo patientur. Nam
hostes manu, consilio, artibus superare hoc quidem multis
concessum est. Sed se ipsum vincere, regnandi cupiditatem
non modo temperare, sed ex animo penitus extirpare hoc à
nullo factum esse unquam audiuius, videturque hoc non
iam humanum esse, sed diuinum. Siquidem nulla alia ma-
gis de causa simultates, odia capitalia, necesse inter artissi-
ma necessitate deuinctos extiterunt. hoc enim illud est quod
spectata etiam virtutis homines fas omne subuertere coegit,
ut non puduerit non inelegantes viros crebro illam sententiam
usurpare, si ius violandum est imperij gratia violandum.
tantopere haec regnandi cupiditas optimum quodque inge-
nium nescio qua dulcedine ad se mirum in modum allicit.

quo magis diuini hominis consilium semper admiremur necesse est. ego quidem quibus verbis hoc explicem, ipse profecto nescio. Nam quæ hucusque de eo à nobis dicta sunt, & si vix credibilia humana tamen fuerunt, & verbis communibus proferri potuerunt. hoc autem diuinum penitus est ut verear interdum, ne huius de quo loquimur manes si hoc licet dicere michi subirascantur, si diuinum hoc factum quoquo modo humaniter laudauero. præsertim cum ipse mortalem hanc vitam viuens gloriolam hanc vagantem per hominum ora semper neglexerit, & nunc alteram illam beatissimam multo magis, ut inanem, & futilem negligat. Sed tamē à quōdam inuictissime, ac maxime, nunc vero etiam sanctissime, ac beatissime Imperator si qua ex cæli regione nos aspicias, tibi que sacra hæc fieri, ac iusta celebrari vides per te nobis liceat ea, quæ numquam in alio vidimus, nunquam audiimus nunquam legimus, nunquam fieri posse credidimus, liceat inquam prædicare, laudare, admirari, obstupescere. antea quidem res tuas gestas, imperia, victorias, regna ita verbis extollere solebamus, ut nunquam tale vlla memoria fuisse, nunquam futurum fateremur, nunc postremum hoc quale sit nichil nobis superest quo modo proferamus. tantum enim ac tale est, ut vix mente concipi, ne dum humana vlla vi efferi possit. Sic enim cum omnibus, quod Christianissimū principem ac vere piū cum in bellorum administratione, tum regnorū gubernatione facere oportet fortiter, iusteque muneribus sanctius esset, veræque illi gloriæ ac nunquam obiturae, quæ recte factis comitatur satis superq. fecisset, memor alterius vitæ, ad quam semper aspirauerat rebus his caducis, atque humanis modū imponendum esse sapientissime statuit. cumq; dignos quibus administrandariū, regēdarumq. maximarum rerū curā traderet

traderet Philippum filium, & Ferdinandum fratrem sibi
præsto esse videret in hunc omnia auita, & bello parta regno
rum iura, omnes regias opes, & liberam regnandi auctorita-
tem, in illum omnia imperatoria maiestatis, ac dignitatis in-
signia volens, libens, firma mente, tempore maxime oppor-
tuno, sapientissimo consilio transtulit. quo ipse omni huma-
na cura liber, quod diu maxime exoptarat vitæ sempiternæ,
ac veræ adhuc viuens partem gustaret. quæ vitæ vitæ
maxime est habenda, ac Diuorum propria, cuius suauitate
ita sese oblectauit, vt breui omnibus humanis affectibus extin-
ctis nuda, ac perfectissima mens Dei ipsius perfectione fruere-
tur. quod quidem quantum, & quale sit michi quidem ad co-
gitandum difficillimum est: atque ita vitam hanc per ali-
quod tempus beate traducens eo peruenit, vt deficientes sen-
sim corporis vires vix sentiens ad finem huius, & princ-
ipium alterius deueniret, quo quidem in loco qui sunt (sci-
mus omnes) quantopere huius dulcissimæ lucis amissione,
moueantur. ille autem, vt qui diuinam iam, ac perfecti-
mam vitam diu fuerat meditatus, illiusque suauitatem gu-
starat, eo gaudio ex hac euolauit, vt qui è tæterrimo aliquo,
obscuroque carcere in libertatem, & in lucem emittuntur.
Hoc igitur sanctissimi hominis factum ita admirabile est,
vt omnem excedat sensum. nam hominem esse, & omnes
humanos exuere affectus vix in quoquam credibile est.
quod tamen & factum esse, & ab eo viro factum, qui cæ-
teros omnes opibus, gloria, splendoreque anteciret, videmus.
Hunc igitur merito lugemus nobilissimi viri, quem & na-
tum esse plerique semper letabuntur, & mortuum maximo
desiderio prosequuntur. sed vereor interdum ne gemitu, fle-
uque nostro, ac magna lacrimarum vi, quas dulcissimis si-



lius, amantissimus frater, chari nepotes quas omnis augusta
domus ac familia, quas Hispania, quas Germania, quas Ita-
lia, quas illustrissimi nostri principes, quas nos ipsi ad hoc ina-
ne bustum fundimus illius oculos, atque aures obtundamus,
quod securissimam illius quietem perturbent ab illo igitur ve-
niam impetrandam censeo, ut quo maiorem illius virtutem,
ac diuinitatem fuisse carendo nunc intelligimus, eo magis do-
lori, lacrimisque nos sinat aliquantulum indulgere, ut cum tā-
to, ac tali parente, patronoque orbati simus patiatur nos ina-
ni hoc quidem, sed tamen nobis debito, & in tanta calamita-
te gratissimo officio fungi, cumque tot, tantisque beneficijs au-
cti, virtutibus immortalibus illustrati, exemplis ad veram glo-
riam, atque honestatem inuitati hoc illi saltem ex nostro affe-
ctu, si non ex illius merito rependamus. nec enim animo tam
firmo sumus, ut tam aduersam fortunam ac miseriam equissu-
ma mente feramus. querimusque interdum eam esse omnium
mortalium conditionem, ut post tot curas, post tot labores,
aegritudines, morbos æqua omnibus moriendi necessitas sit im-
posita, oportuit enim quorundam ut opera fuerunt immorta-
lia ita & vitam esse immortalem. sed in hoc me ipsum reprimi-
mo, quod fortasse non ex vero, sed ex humano affectu de rebus
diuinis dyudico. ille enim vitam immortalem maximis in hu-
manum genus conferendis beneficijs, & vero Dei cultu est cō-
secutus. Verum tamen hoc iam satis sit. Vos autem in tanta
acerbitate humanis. viri illa spes cōsoletur, quod Cesare vita
functo, ex paterna disciplina Philippum filium clauo successisse
videmus. quo gubernante non minus secundam navigationem
quod iam experti sumus & cælum & dy, & venti, & ma-
ria, & sidera pollicentur.

FINIS.

